

gnum Benigno fertur affectu clementissime resolvere dignata est, quatenus Anno futuro ad fundationem Viennensem sic dictam Chaozianam 12 Juvenes Nobiles Hungari et Croatae, Octavum attingentes, et Undecimum Aetatis Annum haud excedentes, suscipiantur; hujusque Caesareo-Regiae Clementiae participes fieri cupientes, humillimum eatenus in tempore medio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Aulico-Hungarici Cancellarii facere valebunt recursum: pro qua Altissimae Suae Majestatis Sacratissimae Gratia et Clementia in publico lecta, et pleno cordium solatio intellecta, Domini Status et Ordines Regni humillimas easque perennas Gratias Suae Majestati Sacratissimae agendas decernunt.

Articulus Vigessimus Tertius.

Relatio de resignatione Petrinensi inarticulatur.

Illustrissimus Dominus Comes Officij Banalis Locumtenens et Generalis, qua infrascriptae Deputationis Praeses, cum assumpto in locum Reverendissimi Domini Lectoris Stephani Pucz, eotum aegrotantis, Reverendissimo Domino Adamo Antonio Chegetek, Custode et Canonico Zagrabiensi, ac Domino Consiliario Joanne Busan, reliquis, in Articulo 6. post Instalationem edito, novissimae Dominorum Statuum et Ordinum Congregationis ordinatis ex parte Regni Deputatis, propter indispositam Eorum Valetudinem non comparentibus, in Publico Gratiose referre dignabatur, quod posteaquam Anno delabente 1753 die vero 20. Mensis Augusti, Petrinae insimul convenissent, eotum Illustrissimus Dominus Comes Benevenutus a Petacz, Sacrae Caesareo-Regiaeque Majestatis Camerarius, Generalis Campi Vigiliarum Praefectus, et Inclyti Generalatus Varasdinensis Vice-Comendans Generalis, tanquam per Excellentissimum et Illustrissimum Dominum Baronem a Kaull, atefatae Suae Majestatis Sacratissimae Generalis Campi Marschalli Locumtenentem, Consiliarium Actualem Intimum, et praefati Generalatus Varasdinensis Actualem Comendantem, vi Benignissimae Suae Majestatis Sacratissimae Resolutionis Viennae 16. Junij Anno decurrente 1753 emanatae, sufficienter authorisatus, Locum Petrinya Illustrissimo Domino Comiti Locumtenenti, qua Deputationis Praesidi, praefatisque Dominis Deputatis, ac per consequens medio Eorum Inclyto Regno resignasset, Praetitulatus vero Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens Banalis, et Domini Deputati, de receptione Petrinae pro parte Inclyti Regni Domino Comiti Generali Benevenuto a Petaz, ac consequenter Statui Militari Inclyti Generalatus Varasdinensis scriptas extradidissent Reversales, quibus ita praehabitis praememorati Domini Regni Deputati, in conformitate Clementissimae Caesareo-Regiae Dispositionis, mentionatum locum Petrina pro necessitate confinium Regni Croatiae Banalium applicandum, Eorundemque confinium statui Militari denuo resignasset: salvis tamen Proventibus et Emolumentis ab eodem loco Petrina obvenientibus et obvenire debentibus, pro Cassa praefatorum Regnorum publica, et Eorundem ulteriori Dispositione, in Conformitate reliquorum confinium Banalium remanentibus; Quodve dictus confinium Regni Banalium Status Militaris praefatum Locum Petrina de manibus antelatorum Dominorum Regni Deputatorum receperit; Idem Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens, qua Confiniorum Banalium in absentia Suae Excellentiae Banalis constitutus commendans, cum Reserva, respectu Emolumentorum Petrinen-